



# Disputatio medica inauguralis de convulsione

<https://hdl.handle.net/1874/340778>

8

DISPUTATIO MEDICA  
IN A U G U R A L I S,  
D E  
CONVULSIONE,

Q U A M  
DIVINA FAVENTE GRATIA

*Ex auctoritate Magnifici Rectoris,*

D. JOHANNIS van MUYDEN,

Jur. Utr. Doct., ejusdemque Facultatis in Inclyta Academia  
Ultrajectina Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici consensu, & Alma*

*Facultatis MEDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA honoribus, & Privilegiis  
ritè, ac legitimè consequendis.

*Publicè disquirendam sistit*

ALARDUS DE LEEUW, AMSTEL-BATAVUS.

*Ad diem 9. Maji, horà locoque solitis.*



TRAJECTI AD RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiae  
Typographi, clō Ioc LXXXVII.

DISPUTATIO MEDICA  
A W. A. G. U. R. M. A. L. L. S.  
DE

TRUNI, OPT.

PRÆCEPTORIBUS

AMICIS

AC

FAUTORIBUS.

S.

TRAJECITI AD RHENUM.

Ex Officina Hæretici Bæthæ, Academiæ  
Typographi, de hoc Læxæ.





## PROOEMIUM.



Igite pedem *SAGACES* recon-  
ditorum *SCRUTATORES*,  
& humanum corpusculum, tam  
ratione præpotentis machinæ, quam  
multigenæ perreptantium illud li-  
quorum miscellæ, cunctorumve  
elegantissimam inter sese sympa-  
thiam, nervosâ rimanimi indagine,  
sic celebri *SENECÆ* effato, applaudentes alios effusè  
mirabundos, alios mihi pene stupentes videor, *NIHIL  
NEQUE MAJUS, NEQUE ORNA-  
TIUS, RERUM NATURA GENUIT*,  
quam latè enim oculorum hìc patet obtutus, radian-  
tia *DEI OPT. MAX.* mirabilia emicant,  
nam angustis hisce limitibus, augustam totius orbis  
ostentat molem, *Paulò mehèrcle Hominem, ab An-  
gelis minuiisti Domine, gloriâ eum & Honore Co-  
ronasti!* Hinc priscis immenso ejus pensitato valore,  
*SYNESIUS. Corporeorum & incorporeorum Horizon-  
tem Hominem* condecoravit, illinc *CICERONEM*  
audio *divinum Animal planè politicum, & ad*

## P R O O E M I U M.

*Societatem natum , MERCURIUM TRIS-  
MEGISTUM , Animal DEO simillimum ,  
& DEORUM interpretem , BARBARUM  
demum ABDALAS , Hominem creaturarum  
nemini secundum declamasse assequor ; ast pluribus  
quid immoror ? inania quid spiro verba ? quidquid  
cælum & solum incolit , quidquid mare terramque  
frequenter , omne verbo , neve inanimatum ipsum , in  
animati mortalis hujus homunculi , vergunt favorem ,  
altissime tandem*

*Obstupui steteruntque comæ & vox faucibus hæsit.*

Verum enimvero quantis parasangis reliquis præfulget  
efformatis conditisque , tanto & investigatio ejus ope-  
rosior , & cognitio desperatior , ingens etenim ingruen-  
tium syrma malorum est , mortales sub infandum  
ærumnarum labem rapiens , alterum ex interruptâ  
serie emergit , corpusculum sædè deformans , alterum  
hoc dirè dilaniat , distorquet , dislocat , alterum al-  
terius involvit ruinam , & infaustum grassatur agmen  
instructo nimium *proh dolor!* apparatu , excidium hu-  
mano sadalio portendens. *Eapropter* unum tantum  
præ aliis , mortalibus infimo haud loco insidiantibus ,  
(*CONVULSIONEM* inquam ) molior , & de-  
sideratorum farraginem pro ingenioli Animique dote  
fufius scrutabor.



DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

CONVULSIONE.

THESIS I.



Ruculentissimi auspiciaturo historiam morbi, nonnullorum, Spirituum puta animalium, musculorumque examen sese præprimis obtulit, ut & arbitrario membrorum motui, & abstruso *Convulsionis* recessui, tutior sternatur aditus, nam profectò si alibi

*Hic labyrinthus adest, in quem si laberis intus,  
Non labyrinthus erit, sed labor intus erit.*

I I.

Quo ad *spiritum*, Nil nisi corpus in corpore volatile est, è cruoris compage, furibundâ ac hostili particularum Luctâ prognatus, proq. exortus sui sede diversâ, diversus, alter enim *Animalis*, alter *Vitalis* erit, hic in corde; ille corticali substantiâ cerebri, glandularum quam plurium occurso elaboratus, inque medullarem, tubulorum itidem (*MALPIGIO* teste) promocondum opulentissimum, partibus humani corporis, per indefinitos arcusque nervulorum mæandros ablegatus, animâ aut imperante, aut sanguine pomceria cerebri alluente, aut ingenti plagâ parte quâpiam damnatâ, vellicatâ, irritatâ, qui ritè etiamnum existens, omnis *Regularis Voluntariique* motus instrumentum, quemadmodum musculus concavatum stratum fibrillarum, primatum hujus organum audit.

A 3

III. Hisce

## I I I.

Hiscæ delibatis, demandatam mihi provinciam, *Convulsio-*  
*nem*, quam græci vocabulo *σπασμὸς* ventilant, exantlabo, estque,  
*Invita & Constans musculorum, partiumve membranearum contra-*  
*ctio.* Quo membranearum nomine *FERNELII* placito, liga-  
 menta, tendines, nervos, musculorum fibrillas, eorumque tu-  
 bulos accepta velim, sic cuique indaganti, tum atrocissimi sub-  
 jectum morbi, tum sauciatae partes in apricum prodeunt, tum  
 frivolæ de *Nonente* Lites consopiantur, nam musculus quo loco  
 carneus minimè, maximè quo nerveus, fibrillosus, aut membra-  
 neus est subjectum edit, eatenus animalibus spiritibus ob infen-  
 sum quoddam nervoso systemati inflictum, rabido præter na-  
 turæ jussu inconditove motu debacchantibus, omnivagæ ex  
 inopinato strages ingruunt, mobilium fistasis penitus labascit, fi-  
 nitimum nervosum genus in consensum proruit, rigidè stipantur  
 partes, omnigeni horrendi tumores, quin mors ipsa (annuen-  
 tibus practicis) non rarò impetunt.

## I V.

Partes tandem deterrimâ hac convulsivâ luc prostratas, ner-  
 vos videlicet, tanquam immediatum subjectum perlustrandos si-  
 sto, nam quidquid uspiam sensus tactus in corpore prostat,  
 membranulis eorum à durâ & piâ cerebri meninge emutuatis, con-  
 secrandum duco, cum nervus ab hisce probè consideratus, mera  
 insensilium sit cerebri Spinalisve medullæ propago, & animalium  
 Spirituum canalis unica, ut haud abs re cum *WEDELIO* fa-  
 ri liceat, *Non dari motum sine nervo & musculo, nec sensum sine*  
*nervo, & membranâ,* Spiritus quippe hisce incolæ quaquæ è ce-  
 rebri laribus amandati, muniis quamplurimis imperant, sin ini-  
 micâ qualitate obruti, Luctuoso pari fato fatiscunt, musculorum-  
 que cancellis immerfi, ob dolosum forinsecus irrupentem ho-  
 stem aut sævientem aliam incongruam causam, catastis numellis-  
 que revinctis in furorem invitâ mente deturbantur, animalis œco-  
 nomix



nomiæ munia ritè obire detrectant, ac aperto demum Marte  
*Convulsioni* sævitiam evomunt.

## V.

*Differentia* jam in propatulo multigena, alia labefactatarum partium respectu, universalis & particularis, *Semi* altera universalis convulsio audit. Causarum ergò tum internarum, tum externarum varia, alia proventus sui idiopathica & Symptomatica, altera ratione modi afflictionis tonica, aut clonica est; Alia denique à repletionem & inanitionem *Hippocrati* sect. vi. aph. 39. ab humore flatuque *Fernelio*. à vellicatione aph. i. sect. 5. *Galeno*. sexcentæ plures ab exorbitantiâ morbi, protractu diutino, temporis adversi, cæterarumque fatalium rerum afflatu, vagæ eruuntur differentia.

## V I.

*Impotentias* hæc motus ut cum *PLATERO* loquar, pensiculatorius evolventi, *Universalis* dicta *Convulsio* in *Tetano* seu rigore juxta *Celsi*. lib. ii. cap. i. prodit, omnes quotquot corporis musculos, tetro hoc suo myasmate conspurcans, humanumque corpus haud secus, è caelo fulmine ractum immobile plectens, ac tragædiam funesto non rarò catastrophæ terminandam ostentans.

## V I I.

Alia *Particularis* nomine famosissima, mobilium unum tantummodo infestat; huic mandibula referari nequit, illi devorandis ingressum renuit *Trismus*, alter buccis & labris in Spasmodum absorbtis, ac ore transversim distorto, canes æmulatur rabidos, *Cynicumque Spasmodum* authores vocitant. Quibus innumerè præterea, velut *Strabismus* oculorum, *Priapismus* virilis membri, *Sardinius* *CICERONI* risus faciei, & id generis convulsiones adjici queunt.

## V I I I.



## VIII.

*Universales* semi quasi *Convulsiones* ἐμπροσθεν & ὀπισθεν agunt, anticos aut posticos corporis musculos obsedentes, humanumque corpus arcuatum velut *ab arbore ramus* alterutrum prosternentes, quamquam (*FERNELIO* notante) vovelas eas cervicis tantum & colli convulsionibus adstruendas malint, adeoque *Particularium* classi assortiantur, *Emprophotonos* musculorum colli, *Opisthotonos* Cervicis sit.

## IX.

*Idiopathica* est animalibus Spiritibus, cerebro, ejusque nerveo penu primatim luente, illis etenim mephiti squalentibus, plurimorum syndrome presto ob famigeratum mutuam commercium, compatiatur necesse est; cerebri nervorumque, compage, Labe exitiali oppressâ, Spiritus *nonnaturalium*, *praternaturalium*, aliarumve rerum exorbitantiis fœcati, in orgasmum præcipites ruunt, & membranarum nervorumque sentiente profapiâ oriundum stamen pervagantes, laudabilem corporis harmoniam devastant, & *Sympathicam* dictam *Convulsionem*, partium nempe aditarum colluviem accersunt.

## X.

Alterum *DIVINI SENIS* de *Repletione* ac *Inanitione* dogma, paradoxum non paucis apparet; ast mente ejus probè collustratâ quis malefanus, aut bardus adeo? quem sacra legum violare haud pudeat, minimè enim de humorum, verum nervorum musculorumque à Spiritibus obortâ *distentione*, & *inanitione* innuere compertum habeant, illis ultro citroque in hos, aut illos corporis musculos perpetim divagantibus, partibusque turbulentâ agitatione jactatis, antagonistarum alter inanitur facile collapsus, alter oppletur distentus, motusque unius impotentia, aut utriusque musculi æqualis, adeoque *Convulsivus motus* aut *Convulsio vera* seu *Rigor* ingruit.

## XI. Spas-

## X I.

*Spasmus ab humore, flatuque FERNELIO, flatulentus dictus, plurimas (PLATERO) partes arripit, hominibusque per periodos (quod frequens ait) recidivus, legitimi Spasmi cum causerum, tum discriminum respectu analogiam edit; halitus quippe sicubi nidulantes, corporum latibulis obstricti, vagabundo more huc illucve errantes, humores acorem nacti, membraneas nerveasque pereleganti sensu dotatas partes Lacescentes, tristicolam menti sensationis ideam (quæ dolor audit) protinus afflant, ac suam terrificam cum cæteris labem eructant.*

## X I I.

*Ultima tandem à vellicatione convulsio GALENO, suos quoque patitur manes, genesin illius opinionis patroni, ad facultatis expultricis fibrosarum partium, ex nervoso genere Compositarum, A re molestâ irritationem, qua irritata suæque imbecillitatis Conscia, facultatem expultricem in auxilium vocat, Atque ad violentum hunc motum incitat, &c. referunt, verum enim vero, nihil isthæc per nihil extorquent, nos pro facultate nostrâ meliora meditantés, à simili falsi dogmatis fermento repurgabimur, statuentes (quamquam causerum sit) quidquid sensus organo inimicetur, instrumentum facile nostri motus (Spiritus animales) fatum idem luituros, potentiasque WILLSIO loco motivas spasmodicè ruituras, muniri omni impares.*

## X I I I.

*Jactis fundamentis, proditâque affectus indole, nunc CONVULSIONEM, densâ causerum catervâ stipatam aggredi Rerum expostulat ordo, ut ex indigestâ hac farragine, opusculum Numeris (ut ajunt) Nonnullis absolutum emergat. Nam*

*Felix qui potuit, rerum cognoscere causas.*

*Spiritus uti in primordiis cautum fuit, functionum animalium, ipsiusque sensitivæ animæ hypostaseos authores, è nervorum*



protractibus, copiâ peruberi exundantes, nerveas fibrillas, undique in corpore confitas subeuntes, sensus motusque organa construunt, ac certis finibus limitati, intra arctum velut unius cameræ cerebri cerebellive spatium, innumeras actionum & passionum virtutes obeunt, veruntamen qualitate, quantitate, motu, &c. aliis requisitis adversantibus, & humoribus, musculis, membranis, nervis, squalere defunctis, nefanda *Epilepsia phrenitidis, vertiginis, cephalalgie, Astmatis*, & id generis enormium stratagemata affectuum, causæque *CONVULSIONIS* perplures, quas in *Internas, externasque* dispescendas proponimus, obrepunt.

## XIV.

*Spiritus* itaque rapido suo motu invitè tumultuantes, *Internarum* merito primas teneant, nam qui mites, puri, impolluti, tranquillè satis degebant, continentia quævis corpora blandè actuare, & innuentiâ quasi amicâ irradiare soliti, jam turbidi heterogeneis, velim, sulphureis aliisque ut cum *WILLISIO* loquar spasmodicis corpusculis Luxuriantes, *celerrimi fulguris ad instar* coërceri inhabiles, ea immaniter distendunt, voluntatis imperio regi, & mediis sedari recusant, quâ de causâ profiteri fas est, quidquid in impetus efferos hos concitaverit, *CONVULSIONIS* proximam, & præfatorum feracem causam, quod varium cum in dies irruat, varium sortitur effectum.

## XV.

Morbidam *Spiritus* adepti diathesin, aut cerebrum ejusque partes insitas quam insensissimè insultant, aut sine notabili luis notâ foras exulunt, quodque inimicum impræsentiarum erat, per emunctoria glandulas inquam, Lymphæ aliosque ductus tanquam repurgium exturbatur, cæterum à natali pernimum teneres, ac fugitivi, minimos impetus, mentisque dictamina Spernunt, hinc viris mulierculæ, aliæ aliis hysteris, uterinis affectibus, animi passionibus, iræ, tristitiæ, &c. spiritibus imputandis proniores sunt.

## XVI.



## XVI.

Sanguinis cæterorumque liquorum massa, aut originaliter, aut accidentaliter salino lixiviali velut rancore, aut malignarum februm, Cachexiæ, scorbuti, fætidorum abscessuum, aut virulentorum ulcerum illuvie madens, aut flatibus nitro sulphureis insolitisque fermentis turgida, aut statione demum in ichora putridum, feculentum, adeoque acre, acidumque non raro degener, nervus omnibus, omnia, *HIPPOCRATI*, cerebro & partibus ejus perquam infesta produunt, ut haud immerito lib. de vict. rat. in acut. pagin. 397. harioletur *corrupto sanguine & Spiritibus, vias quas in ipso secundum naturam habent pervadere nequeuntibus, perfrigerationes fiunt, ob stabilitatem, vertigines, vocis defectio, capitis gravitas, convulsiones, &c.* quibus præterea lumbricos, calculos, & hujusmodi varia, quæ præter naturam corpori planè obfunt annumeranda cenfeo.

## XVII.

*Externarum causarum primitiva nervi punctio ventilatur, adeoque ritè CELEB. SYLVIOS, quidquid duritiæ suæ vel acrimoniæ, aptum est ledere partes spinalis medullæ, & nervorum membranas, id ipsum causam quoque esse posse motus involuntarii, copiosi, & perseverantis Spirituum Animalium ad musculos, adeoque Convulsions, sic HIPPOCRATI vulnera aph. 2. sect. 5. cathartica validiora & quidem hellebori, aph. 1. 4. sect. 5. Deleteria, venena, venenatorum animantium morsus, exhalationes tetrae, è specubus & paludibus, terræque faucibus eructatae, frigora intensa aph. 17. 20. sect. 5. ardores validi aph. 13. sect. 7. vigiliæ immodicæ aph. 18. sect. 7. animi perturbationes omnes, ejusque passiones, sollicitudines, curæ, labores, immoderata venus, nam omne nimium naturæ violentum est, adeoque nil prodest quod non ledere possit idem; quare quidquid ab exteris, spirituum inordinationes molitum fuerit quidquid acre, acidum, aliave Hyppocraticâ facultate infestum degeneraverit, causarum externarum nomine initiabitur.*



## XVIII.

Perpensis singularum causarum viribus & energiis, nunc effectis effecta quædam adstruere gliscit animus, ut & *Prognoseos*, & *Curationis* subsecuturæ genius luculentius patefcat. Virium itaq. jacturæ *orthopnea*, *dyspnea*, respirandi verbo angores alii, dolores atrocissimi, acutæ febres, inflammationes, & hujus farinae enormia quandoque grassantur, quæ haud difficulter omnia, furenti huic animali Spiritui imputaveris, nam inflammationes unum è reliquis quod attinet, si *WILLISIO* fides non derogetur, Nervi sanguiferis vasculis non modo insternuntur, verum Tunicas eorum subeunt, ipsaque vasa nectunt, adeoque cum Spiritibus animalibus (Hippocrate teste lib. 1. de diæt.) omnia facultatem suam motivam debeant, quis inficiabitur lib. de flatib. præter modum exaltatos, vitalium liquorum crasin everfuros, dolores, febres, respiraciones ægras, inflammationes &c. creare natos.

## XIX.

*Prognosis* edituri, magni *GALENI* effato *ingens periculum prædicamus, & mortem minamur, Atque hac ratione vindicamus nosmet ab omni Culpâ & Ignominiâ*, nam *PLATERI, SYLVII, WILLISII*, aliorumque practitorum illustrium exarrata consulentibus, enormitatem undique *Convulsions* spirant; nonne authore *SILVIO* lib. prax. p. 449. *THEODORO vander NOEN* Amstelodam. Medicochirurgo è minimâ manus dextræ *Juncturæ læsione* mors repentina? nonne p. 446. eodem, *CAROLO Galliarum REGI NONO* è puncto venæ loco nervo, tumores immanes, doloresque sevissimi in vasere? nonne *PLATERO* lib. observ. p. 156. claudos & 157. atrophicos? *WILLISIO* prax. lib. apoplecticos, stupiditate correptos, aliave authoribus aliis, horrida spasmm creasse liquet? ea propter ecquid plura? *HYPPOCRATES* ab helleboro sect. 5. aph. 1. vulnere 2. lethale 3. sect. ejusdem, hemorrhagiâ largâ. 4. purgante potenti. 5. crapulâ. dein aph. 49. sect. 4. aph. 73. sect.

sect. 7. ex coac. 104. sect. 1. pag. 527. edition Lindani ? aph. 66. sect. 4. aph. 10. 13. sect. 7. cæterisque non paucis velut convulsionibus thoracis, abdominisque partus tempore abortis, malum omen portendit.

## X X.

*Curatio* causarum ergo, multigena, inconditum spirituum motum pacandum, rigidarumque partium tonum reparandum indicit, quæ ut *Cilio*, *tuto*, ac *jucunde* obtingant, *Internarum Externarumve* efficientium causarum aggregatum, penitus indagari oportet.

*Hujus Classios* punctura nervi, cujus medela *Parao* lib. 1x. cap. xxxviii. in *Caroli Galliarum Regis noni Historia. Vulnera.* quæ persananda, verum quemadmodum notavi, *Hippocrati* ut plurimum aph. 2. sect. 5. lethifera sunt. *Hypercatarsis*, quæ sistenda, & *Spiritus*, *Sanguisque* euchymis, *Eupeptis*, *Spirituosis*, ac *balzamicis* nutricandi. *Venena.* quæ alexi pharmacis, diaphoreticis, accomodatis, specificisque, aut eradicatione, si fieri queat, eliminanda. *Paludum*, *Specudum*, & *Clocacarum* similibus mephitis, per quam fuganda. *Frigora intensa*, *ardores validi*, *Vigilia immoderata*, *Animi motiones omnes*, *Cura*, *Labores*, & *furiosa Venus*, quæque demum *Spiritus* furtificant hisce annumerentur evitanda.

*Illius* *Spiritus* animales indagandi primatim erunt, num qualitate, quantitate, motu peccaminosi, num sulphureis, acribus, heterogeneis, aliisque Spasmodicis feculentis, num *Cachexiæ*, *scorbuti*, præfatorumque §. 16. seminio morbido affectuum, num fermentis incongruis humores polluant, num *lumbrici*, *calculi*, & hujusmodi preternaturalia sæviant, probe observare est.

*INTERNE*; *Spirituum* disconvenientes qualitates alterandæ, impetus eorum, tum revulsione, tum aversione, tum derivatione moderandus, *calculi Lumbrici* & id generis plura, *nervos* *Spiritusque* infestantia, habitâ sanguinis, patientis, & morbi ratione, pro re natâ exturbanda veniunt, hu-



moribus, flatibus, lixivialiter velut acribus, spiritibus fervore suo flagrantibus, volatilia, fixante tamen quadantenus sale gaudentia, discutientia, diaphoretica, opiata cum sudoriferis alexipharmacis, sales volatiles, fixis additi ipsaque anodyna. Purgationibus (si exigantur) anti spasmodica peculiaria, uti quid Castorei in substantiâ admiscenda, ac è gummatum genere cum obstructa referent, & lenti quid suppetant, componenda erunt sic pill. de succin. Crat. mastichin. magni hic usus sunt, nam Spirituum impetui obsunt. huc ptyzana Laxans *Riverii*. fol. fenn. &c. manna. tamarynd. pulp. cass. adjuncto sale prunell. spectabunt; scammoniata, cum Spiritus in furias concitent (quod hic de vomitoriis pariter, purgantibus, diaphoreticis, aliisque medicamentis nimis potentibus observandum innuo) fugienda, Dolor (si qui adsit) sopiendus demulcendus & leniendus, acida (quæ ordinario huic morbo affinia) infringenda erunt. Volat. sal. succ. &c. AQUÆ fenic. lavend. plantag. papav. rhead. meliss. *SAL.* diaphor. ut Card. Absynt. Scord. *PERTINAC. OMNIA*, ut ocul. canc. corall. rub. lap. beczoar. oriental. succinum. mast. Antimon. Diaphor. &c. aq. ex hyrundinib., & castorio *RONDELETIO*. Decoct. lignorum, viscos. resinos. uti guaiaci. falsaph. visci querni, Additis polio montano, valer. silves. fraxinell. flor. lilior. convalt. &c.

*EXTERNE Therma Sulphurea naturales*, & horum defectu *Artificiales* ex herbis, additis nitro, sulphure &c. vel Sulphure, & sale. tartari apponantur, inunctiones, formentationes, balnea, quæ omnia pro ut res exegerit adhibeantur, sic & emplastica parti affectæ cuti proximæ, verum delitescentibus remotis minus proderunt.

*Inflammationi* (si forte adsit) authorum appropriata medicamina presto sint, dolor, internis, externisque consopiat, demulceatur, leniatur, opiatis, spirituosis adjunctis, & sale volatili fixante præditis. Diæta proba amplectatur, ac curatio pro causarum demum varietate, varietur.

*Contigimus Portum quo mihi Cursus erat.*

# COROLLARIA.

I.

**P**Artium humani corporis divisio in spermaticas, sanguineas & mixtas, futilis est.

II.

Pulsuum mirificas illas Plempii, v.g. tot distinctiunculas tanquam vanas & inutiles ablegamus.

III.

Adagium isthoc Sanis omnia Sana falsissimum.

IV.

Nutritio fit per motum & quietem.

V.

Succus nervosus per nervos nullus amandatur.

VI.

Veram diabetem dari, Juxta definitionem communem negamus.

VII.

Februm omnium Subjectum Sanguis est.

VIII.

In febre malignâ V.S. nullatenus instituenda.

IX.

Hydropis essentia in obstructionibus, & rupturâ vasculorum Lymphaticorum consistit.

X.

Vomitorium quamquam periculosum aliis, nobis interim Affectuum multorum præstans remedium est.

XI.

Panacea non datur.


XII.

Purgantia elective medicamenta admittimus.





A D  
ORNATISSIMUM VIRUM  
JUVENEM  
A L A R D U M  
D E L E E U W,  
M E D I C I N A L E M L A U R E A M  
C O M P E R A T U R U M.

 Ratulor acceptis titulis accedere Laurum,  
Et palmam meritis sic decorate, tuis.  
Sæpe moras nectunt alii, tuus impiger axes  
Ad metam recto tramite vexit equus  
Quam bene! quod tali niteat Splendore juventa,  
Qui decet ætatis tempora verna tuæ.  
Ipse tibi leni jam precinit omnia fluctu,  
Qui rigat illimi mænia renus aquâ.  
Trajecti colles, genialia gaudia musis,  
Quos pater in Sortem legit Apollo suam,  
Vos exornastis Studii dulcedine mentem,  
Ut possit patriæ gratior esse Suæ,  
Amstela, cui longum Spumosa per æquora nomen  
Crescit, & indorum munera regna ferunt,  
Jam læte reducem complecti gestit alumnum  
Et non consueto murmure ludit aquæ:  
Sic imple longos non infeliciter annos,  
Ut vivas seros, sed sine nûbe Dies.

J. T A R G I E R, M. D.